

2709

H O M I L E T I C I

2710

illis ad exemplum Praecessorum *Ladislai Regis Boh. et Jobannis Marchionis Brandeb.* facultatem dat emendorum quorundam Censuum.

DCCXLVIII.

- 946 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XVI. Folior. 219. 8. manu, ut videtur, *Wenceslai Rossii Professorovini*, alias *Chrudimensis*, gnavi illius Sacerdotis Bohemi, cujus tot *Κηρυατα* per hujus *Catalogi* decursum indicavimus, exaratus constat varia suppellectili homiletica sacris dictionibus per anni dominicos et festos dies opportuna, cui immorari operae pretium non foret.

DCCXLIX.

- 373 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. nunc tantum 5. f. luculente scriptus, olim *monachorum sancte marie in bymerode Treuren. dioc. cisterciens. ordinis*, ut fol. 3. p. 2. notatur, incipit a Fragmento *Admonitionis* illius ad *Vilium spiritualem*, quae olim *Basilio M.* tributa, verum graece nondum reperta, ab Editoribus *Opp. Maurianis* rejecta est in *append. T. II. Paris. 1722. p. 706. f.* et etiam ad calcem *Codicis Regular. Lucae Holstenii Paris. 1663. 4. p. 20.* extat. Orditur nobis a verbis: *continere festinat. Ambulans semper tumens ut uter uacuus et sicut navis absque gubernatore &c.* et abrumpitur in his: *ne deseras gratias agere cum perfeceris illud.*

Nec parum ab Editis variat. Vide *Cod. DCXXXVII.* et alias.

II. fol. 1. p. 2. sequitur: *Sermo Fulberti Episcopi in Natiuitate Sancte Marie.* Est is *Fulbertus*, five, ut scribit *Anonymus Mellic.* c. 93. *Folbertus* e Praeceptore Scholae *Carnotensis*, in qua et *Berengarium Turonens.* erudit, *Cancellarius* et *Episcopus* loci, qui an. 1028. in vivis supremum habuit. Opuscula ejus a *Carolo de Villiers Paris. 1608. 8.* edita inde in *T. XVIII. Bibl. PP. Lugd.* ad p. 1. migravere. Haec inter *Sermo* noster p. 38. legitur. Meminit ejus singillatim *Mellicensis* *supracit.* quin *Villerius* ex veteri *Annali Abbatiae S. Petri in Valle Carnotensi* inter alia haec verba recitat: *Multa scripta fecit (Fulbertus) ad laudem Virginis glorio-sae et inter caetera illam legendam quae legitur in nativitate ejusdem quae incipit: Approbatæ consuetudinis.* Et re ipsa *Sermo* hic in *Cod. nostro* in VIII. *Lectiones* distribuitur. Initium est: *Approbatæ consuetudinis est apud Christianos sanctorum patrum dies natalitios observare diligenter &c.* Verum, cum, ut dixi, in *Lectiones* distributus fit, in iis verbis abrumpitur: *nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Iuvat tamen vel eo usque indicare, quae ad genuinam *Textus* rationem *Codex* subpeditet. Omitunt Edita: *Ipsa conteret caput tuum*, quae particula tamen necessaria est; sequitur enim: *Quid est fratres in hoc loco serpentis caput conterere.* Prave habent: *sapientia dicit usque quaque malum*
pro

pro uincit. Unum quodque de miraculis pro unum quoque. Praeterea: Quod longo post aperiens diuinus *Esaias*, Codex: Quod paulo post aperire pergens. Item: hoc a secreto *Esaias* prodidit vaticinio, Codex: hoc a secretis ejus. Item: stellam hanc longe a summo coeli cardine coruscantem, Codex: stellam haud longe &c. Denique: caro quam elegit, habitaculum sibi fecit, Codex: et habitaculum sibi fecit. Omitto alia minoris momenti.

III. fol. 3. p. 2. *Lectio Sancti Evangelii Secundum Mattheum. In illo tempore. Dixit symon petrus ad ihesum; Ecce nos reliquimus omnia &c. Sequitur Sermo hujusmodi: Grandis fiducia. Petrus piscator erat. diues non fuerat &c. Depromptus ex Hieronymi Comment. in Matth. L. III. c. 19. Edit. Vallars. T. VII. col. 150. usque ad haec verba: quod vobis credentibus illi credere noluerunt. Post verba sequuti sumus te, Codex interjicit: Ac si diceret. Habet item cum tot aliis Mss. Socrates pro Crates. Fragmentum hoc rursus in II. *Lectio* distinctum est, quae una cum *Fulbertianis Nonam* et *Decimam* constituunt. *Undecima*, quae sequitur, excerpta est e *Bedaes Homilia in Natali D. Benedicti*, quae occurrit T. VII. Opp. Colon. 1688. p. 332. f. In hac quippe uita pro nomine eius laborantes — mortaliter geniti. *Duodecimae* et ultimae Autorem ignoro. Agit ea de duplici Reeneratione, Resurrectione et Adoptione. Itaque *Lectio*arium po-*

tius habemus, quam *Homiliarium*. Sed

IV. fol. 4. p. 2. *Sermo Athanasii de Consecratione Corporis et Sanguinis Domini. Initium: Vtrum sub figura an sub ueritate hoc mysticum calicis fiat sacramentum. Veritas ait. Caro mea uere est cibus &c. Nihil hic Athanasii, sed cento ex Augustini, Cypriani, Ambrosii, Hilarii &c. dictis, qui finit: Qui enim peccare iam quieuit. communicare non desinat.*

V. fol. 5. *Breuis Prosa* notis musicis instructa hujus tenoris: O peccatori solatium maria magdalena intercedere digneris ad dominum deum nostrum pro nobis quia humanam fragilitatem non ignoras. Audi domina et uide et inclina aurem tuam, quia humanam &c. Ut *Prosa* hanc ad Gallias et quidem ad *Ecclesiam Lingonensem* referam, facit primo peruulgata olim opinio, *Magdalenam* cum *Lazaro* et *Martba Massiliam* adpulsos ibi vitam exegisse, dein Basilica a S. *Desiderio* III. ut in *Gallia Christi*. T. IV. col. 210. numeratur, *Lingonensium* Episcopo et Martyre, teste *Jac. Vignerio* in *Compendio Chron. Lingonens.* p. 13. ejus *Diuae* honoribus fundata, demum, id, quod sequitur.

VI. fol. 5. p. 2. *Pars Officii* memorati S. *Desiderii* constans *Antiphonis Versibus* et *Responsoriis* I. et II. *Nocturni*, unde quae oculos *Lectoris* nondum fugiunt, hic adscribam. R. *Gloriosi desiderii deuote colamus festum qui cum esset lingonum presul in tempore infestationis factus est forma uirtutis*

2713

H O M I L E T I C I.

2714

tis quia pro grege domini meruit coronari. v. Fidei namque constantia feruens ideo tripudiat sanguine laureatus. R. Infectione uuandalorum dum perfunderetur gallia beatus desiderius præerat lingonum presul uenerandus. v. Virtutibus perquam insignis ac genere pollens. R. Depopulatis gallis gens barbara direxit tandem — ad capiendum lingones ciuesque ut neci darent nisi christum spernerent. v. Auiditatis instinctu urbem affligentes. et ut legis diuine instituta delerent. In II. Nocturno. A. Agmine hostili cum foret urbs uallata beatus desiderius compellabat dominum ut plebi sue adesset in persecutione grassante — bellico sacer praesul muri conscendit celsa ut alloquendo truces compekeret. A. Dei miles tunc inquit interritus o miseri comprimate manus quia Christi cultores sumus ipsumque uerum confitemur deum. R. Sacerdos desiderius cum hostica manus urgeret — urbem bellicis cohortibus inquit agite queso parcus quia Christum deum colimus illique uere famulamur. v. Nolite in nobis admittere scelus. per quod dei iram uobis prouocetis. R. Cum scelerata multitudo persistere ciues cerneret in confessione deitatis nitebatur acrius moenia capescere urbis. v. Presulem sacrum cum plebe fidei ut improba cohors impie neci daret. R. Atrox turba demum urbem coeperat — Reliqua valde extrita sunt. Quae legi possunt, adprime cum Actis a Warnabario excultis conueniunt, quae apud Bollandianos T. V. Maji ad diem 23. p. 244. habentur, militant Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

que pro eorum sententia, qui *Desiderii* Martyrium Seculo III. *Vandalis* etiamnum Gentilibus annoque salutis 264. adsignant, contra eos, qui Seculum V. et *Vandalos* jam Arianos malunt. Utriusque Sententiae momenta habes *Galliae Christi*. T. IV. col. 512.

DCCL.

Codex membraneus lat. Sec. 59 XI. aut XII. incipientis Folior. 21. f. per duas columnas probe scriptus continet I. *Godescalci Monachi*, non illius turbulenti *Orbiacensis*, qui circa an. 870. obiit, sed alterius, et fortassis illius, cuius *Planctum de transitu domni Odilonis* Abb. Cluniacensis an. 1048. defuncti edidit *Andr. Duchesnius Biblioth. Cluniac.* p. 330. *Sermones duos apologeticos*, quorum prior incipit: *Ecce Crux creatoris. cum omnibus creaturis. in cruce saluandis. aut extra crucem damnandis. &c.* Ex quibus uerbis adparet, adfuisse hic olim *Crucis figuram*, et quidem, ut ex continuatione *Sermonis* liquidum fit, superne Angelis, inferne Diabolis, ad latus dextrum Iustis, ad finistrum Impiis stipatam. Fol. 2. p. 2. Autor praeceptoris sui meminit his uerbis: *Quod ille non bene perspexit, qui magistrum meum heinricum bonae memoriae in hoc Responsorio quod fecit. uidelicet Omnis lapis pretiosus reprobendit. ideo quia dixit idem Heinricus. omnis lapis pretiosus operimentum domini &c. Tandem Fol. 7. p. 2. ad se defendendum delabatur, quod in Sequen-*